Mann-Lehn gewesen/ und dafür jederzeit gehalten worden/ und noch unstreitig dafür erkennt wird/ welches auch Unseren Gülischen Territorio angehörig ist/ und Unsere geehrte Vorfahren Hertzogen zu Gülich/ die Landts-Fürstliche Jurisdiction, hoch- und Ober-Gerechtigkeit darin unwidersprechlich herbracht haben/ und weil zwischen etwa Georg von Kessenich/ und Jacoben von Malsen/ welcher Malsen eine Tochter von Kessenich zur Ehe gehabt/ und davon Kinder gezielt/ des utilis Dominii und Succession halber in diesem Unseren Lehn vor etlichen Jahren Streit und Differentien entstanden/ und solche Streitigkeit bey Unserm hiesigem Hoff-Gericht als ordinario competenti, umb von beyden streitenden Theilen ultro erwehnten Judicio von demselben Gerichtlich ein und so weith außgeführt worden/ daß nach gethanen in der Sachen Beschluß endtlichen in dem verwichenen 1639. Jahr den 11. Januarii cum plena Causæ cognitione durch Unsere Cantzler/ Rhäte/ und Hoff-Gerichts-Commissarien rechtmäßige Endt-Urtheil außgesprochen/ und darin das utile Dominium, und nutzbarliche Gerechtigkeit obgemeltem Georg von Kessenich/ und des nachgelassenen Ehelichen Sohn Johann Walramen von Kessenich zuerkent/ und mit denselben auch darauff als einen rechten Gülisch Mann-Lehn/ wie obgemelt/ von Uns belehnt worden/ deme zu folg Wir dann auch jetzt-gedachten Johann Walramen von Kessenich in die würckliche Possession deren seinem abgestorbenen Vatter/ und ihme er-

tale sit, quod ad Juliacense nostrum Territorium pertinet, & in quod vinerabiles nostri Prædecessores Duces Juliæ Territorialem, superioremque jurisdictionem inconteſtabiliter comparârunt, & cum inter Georgium de Kessenich, & Jacobum de Malsen, qui Malsen Filiam de Kessenich in uxorem duxit, & cum ea proles suscepit, ratione utilis Dominii & Successionis in hoc nostrum Feudum ab aliquibus annis lis & controversia orta sit, illaque coram Aulico nostro Judicio, quà foro Justitiæ ordinario competente, ab utraque parte propriâ sponte electo, instructa & deducta fuerit, quod tandem factâ in causa conclusione Anno præterito scilicet 1639. undecimâ Januarii cum plena ejusdem cognitione â nostro Cancellario, Consiliariis & Aulici nostri Judicii Comissariis Sententia definitiva sit lata, vigore cujus utile Dominium, & Jus dicto Georgio de Kessenich, & ipsius legitimo Filio Joanni Walramo de Kessenich fuit adjudicatum, ipseque dicto Castro & Dynastiâ, ut vero Juliæ-masculino Feudo, ut antedictum, est, à nobis clementissimè investitus, in cujus sequelam dictum Joannem Walramum de Kessenich in realem possessionem Castri & Dynastiæ Kessenich tam Patri defuncto, quàm ipsi adjudicatæ fecimus immitti; & quanquam planè persuasi fuimus, nullum ipsi eatenus impedimentum vel difficultatem suscitatum iri, præsertim, quod dicta sententia sine ulla interposita vel ad minimum nullatenus prosecuta appellatione in vires rei judicatæ prolapsa sit, nihilominus tamen fatus Joannes Wal-

zuerkennte Hauß und Herrlichkeit Kessenich immittiren und einsetzen lassen / und wiewohl Wir Uns versehen gehabt / es solle ihme deswegen keine Eintragt oder Behinderung zugezogen seyn worden / bevorab weilen gedachte Urtheil / ohne einige interponirte / oder doch prosequirte Appellation, in ihre würckliche Krafft und rem judicatam verlauffen / so hat sich doch obgemelter Johañ Walrame von Kessenich bey Uns unterthänigst beklagt / daß sein Gegentheil von Waes Capitain auff saint Stephenswerth eigner Authorität mit seiner unterhabender Compagnie obgemeltes Hauß Kessenich belegert / und ungeachtet ermelter Johann Walram von Kessenich ihme Capitain die Sauvegarde, welche Sie ermeltem Kessenich noch neulich ertheilt / vorgezeigt / und von solcher Thätlichkeit protestirt / dannoch denselben mit lauter Gewalt von gerührtes Hauß rechtmäßigem Besitz per vim & violentiam zu vertringen unterstanden: Wann nun mehrgedachter Kessenich Uns als seinen wissentlichen Landts-Fürsten und Lehn-Herren hierauff unterthänigst angeruffen / und gebetten / daß ihme nicht allein in erkantem Rechten und Possession zu manuteniren und schützen / sonderen denselben auch wegen obgemelter ihm durch Eweren untergehörigen Capitain zugefügter Unbill und Gewalthätigkeit / und ferner von denselben besorgend thätlichen Zustehung diß Unser freundliches Bätterliches Schreiben mittheilen geruhen wollen / und dann Wir nicht dafür halten / daß Ew. Liebten solche in Unser undisputirliche

Walramus de Kessenich nobis conquestus est, quod adversarius ejus de Waes Centurio præsidii in Insula sancti Stephani excubantis autoritate propriâ cum sua Cohorte dictum Castrum obsederit, & quamvis dictus Walramus de Kessenich Centurioni Wasio Diploma Tutelare, quod Dilectio vestra nuperrimè dicto de Kessenich dedit, ostenderit autographum, & de tam enormi facto sit protestatus, illum tamen à Castro dicto & possessione ipsi legitimè adjudicata per vim & violentiam depellere sit ausus. Cum jam supradictus de Kessenich à nobis, ut vero suo Domino & Patrono, hac in re opem nostram petiverit, & nobis supplicaverit, ut ei non solum jus legitimè impetratum & possessionem Feudi quietam & tutam præstemus, eumque protegamus, sed ut etiam ob illatam illi à Dilectionis vestræ Centurione summam injuriam, & imminentem adhuc violentiam hasce vòbis litteras scriberemus, & cum planè existimemus, quod Dilectio vestra hanc in Jurisdictione incontestabiliter nostra factam violentiam nullatenus sit appróbatura, hinc intermittere haud potuimus, hunc rei statum peramanter exponere, instanterque rogare, ut Dilectio vestra dictum Centurionem ob illatam violentiam non solum pro delicti gravitate puniat & ad restaurandum omne damnum dictâ violentiâ factum cogat & adstringat, sed etiam ipsi seriò injungat, ut à tali violentia imposterum omnino abstineat, & latæ Sententiæ in omnibus pareat, hoc faciendo faciet, quod

æquum

tirliche Hoheit vorgenommene Gewalthat ermeltem Capitain Gutheischen werden;

Als haben Wir nicht unterlassen wollen/ Ihro diese Beschaffenheit freundt-Vätterlich zu remonstriren / mit gleichmäßig Gesinnen Ew. Liebden wollen besagten Capita in wegen der verübten Violentz nicht allein der Gebühr abstraffen/ und zu Erstattung alles dardurch verursachten Schadens vermögen und anhalten lassen/ sonderen auch demselben ernstlich befehlen / daß er sich dergleichen Gewaltthaten hinführo gäntzlich enthalte / und der außgesprochener Urtheil ein völliges und rechtliches Begnügen thue ; daran geschicht / was denen Rechten und Billigkeit gemeeß/ und Ew. Liebden Freundt-Vätterliche willfährige und angenehme Dienst zu erweisen/ seynd Wir bereithwillig/ Deroselben antwortliche Resolution hinwieder erwartend. Geben zu Düsseldorff den 28. Februarii 1641.

Pro Copia suo Originali Conceptui concordante Ego Notarius Cæsareus Publicus & immatriculatus subscripsi requisitus in fidem

J. R. Schmitz Mpr.

æqum est, exspectantes desuper Dilectionis vestræ mentem & resolutionem manemus. Dusseldorpii 28. Februarii 1641.

No. XL.

No. XXXX.

Informatio Juris cum Facti Deductione Summaria.

ORtâ nuper quæstione inter prænobilem Georgium de Kessenich, aliàs Collart nominatum, Actorem ex una, & Prænobilem Jacobum à Malsen Reum ex altera partibus, ratione Castri & Dominii de Kessenich cum suis appertinentiis & dependentiis, quòd in Feudum masculinum à Sereniſſimo Duce Juliæ recognoscitur, & à ducentis & ultra annis, pro tali ab illis, qui erant de Sanguine & prosapia de Kessenich aliàs Collart nominati, subsecutivé recognitum fuit, & investituras consecuti sunt; partes hinc inde se ultro cognitioni præfati Ducis Juliæ seu ejus Cancellariæ tamquam Judici Competenti ex abundanti solennitèr submiserunt.

Et postquam aliquamdiu processum fuisset, tandem bonâ causæ cognitione præmissâ, ex quo plenè probatum fuisset, prædictum Castrum, & Dominium de Kessenich cum suis appertinentiis & dependentiis esse Feudum masculinum Ducatûs Juliæ, & prænominatum prænobilem Georgium de Kessenich proximiorem esse agnatum masculini sexûs, ideoque necessariò præferendum prædicto Malsen, qui à latere fœmineo provenit, formalis Sententia à Cancellaria Ducatûs Juliæ prolata & pronuntiata fuit in favorem prædicti Kessenich Anno 1639. 11. Januarii contra Malsen, à quà quidem sententia licet pro parte Malsen dicatur appellatum ad Cameram Spirensem, nulla tamen hucusque probabitur legitima subsecuta prosecutio: Ita ut in omnem eventum appellatio, si quæ probari posset instituta fuisse, jam à longo tempore ipso jure fuerit deserta, & sic sententia in rem Judicatam transierit.

Cum verò parum prodesset sententias ferri, nisi etiam debitæ executioni demandarentur, hinc est, quòd præfatus Sereniſſimus Dux Juliæ in favorem prædicti Prænobilis viri Georgii à Kessenich P. M. aut nunc ejus Filii legitimi Prænobilis Joannis Walrami à Kessenich pro complemento Justitiæ invocatus executoriales decernendo alicui ex suis Officiariis commissionem dederit, ut sententiam debitæ executioni demandaret, & præfatum Walramum in Castrum & Dominium de Kessenich cum suis appertinentiis & dependentiis immitteret vigore prædictæ sententiæ. Verum quia in præsentiarum Prænobilis Walramus à Waes Capitaneus in servitio Regio (qui Se-

niorem Sororem præfati Jacobi à Malsen in uxorem Duxit) Castrum & Dominium de Kessenich occupabat, placuit Serenissimo Duci Juliæ scribere ad Serenissimum Principem Cardinalem Infantem, ut ad evitandas omnes inconvenientias in hoc executionis actu ex abundanti prædictum prænobilem Walramum de Kessenich in sua speciali protectione & Salvaguardia sumere dignaretur, quod fecit, ipsi specialem Salvaguardiam tam pro se, quàm defensione bonorum in amplissima forma gratiosè concedendo, quibus non obstantibus sæpedictus Waes, viâ militari & violentâ, etiam præhabitâ Scientiâ tam latæ Sententiæ, quàm Salvaguardiæ Serenissimi Principis nostri Cardinalis, eò audaciæ & temeritatis processit, ut executione & immissione jam factâ utriusque Principis authoritate, iis omnibus minimè attentis sæpe dictum Walramum à Kessenich jam immissum cum suis expulerit, & spoliaverit, & spoliationem illam continuare præsumat armatâ manu.

Quæritur.

AN non sæpedictus Walramus à Kessenich ante omnia veniat restituendus? & Waes non solum tanquam violentus spoliator, verum etiam tanquam verus infractor Salvæguardiæ Principis nostri puniendus?

Qua in re dubitationi non est locus: tum quia non est simplex spolium, sed spolium violentum, & violenta oppositio contra Justitiam, sententiam, rem judicatam, & executionem decretam & factam, tum etiam, quia prædictus Waes per hoc graviter impegit contra Salvaguardiam Principis sui, eam vilipendendo, & eidem tam temerario ausu contraveniendo, & non parendo.

Juris quippe non ignoti, quod multò gravius delinquat, & puniendus sit, qui armatus & armatâ manu Justitiæ, & executioni sententiæ legitimè latæ sese opponit, quàm qui simplex aliquod spolium committit qui enim ausu temerario se Justitiæ, aut ejus Officiariis, aut Apparitoribus opponit, vel verberibus excipit, vel aliâ injuriâ eos afficit, utique hæc vis, aut Injuria Principi atque Judici illata censetur. Peck de Jur. Sist. tit. 32. n. 2. & 3. Refertque Guido Papa dec. 557. tales in Gallia capite, aut certè manûs illius amputatione, quâ facinus admissum fuit, puniri.

Uti etiam is, qui Salvaguardiam Principis sui alicui gratiosé concessam infringit, & contravenit volens sciensque, capitaliter puniendus, ultimoque supplicio est afficiendus. Vulgata Can. denunciandus ad fin. & ibi Did. Cor. de iis qui ad Eccles. confug. & latè Damhoud. in sua praxi Crim. t. 107. n. 1.

n. 1. 2. & n. 3. ubi etiam dicit, quod tum intelligatur publica violari Principis fides, quando quis directè, & ex adverso quippiam contra talem prohibitionem committit, ita ut is, qui ad sui defensionem talem Salvaguardiam, ac securitatem à Principe impetravit, per alterius violentiam aut ullum dedecus patiatur, aut detrimentum.

Quinimo quod Salvaguardiæ Principis violator in crimen læsæ Majestatis incidat, probatur per ea, quæ notat & probat Boer Dec. 179. n. 2. & 4. Guid. Pap. Dec. 418. & Gail. Lib. 1. obs. 1. n. 8.

Quod delictum hoc nostro in casu eò majus est in ipso Waes, quod non solum bonam præscientiam hujus Salvaguardiæ habuerit, ipsique insinuata fuerit, sed quia ipse etiam Capitaneus est Regiæ suæ Majestatis, ideo que magis ad parendum obligatus erat, quàm alius quis.

Quibus accedit, quod majus ad huc est, quod ipsi petenti comitatum prosecuritate suæ personæ à Gubernatore suo de Perelles Gubernator etiam expressè inhibuerit, ne tale aut simile quid, cum militibus attentaret, licet fecerit aliud simulando, aliud agendo.

Nec quippiam Capitaneo Waes patrocinari potest, si forsan dicere velit, executionem & immissionem perperam & malè decretam, & factam, ex quo à sententia fuerit appellatum, & quod Juris satis sit manifesti, quod appellatione pendente nihil sit innovandum, & quod omnino super desertione sententia requiratur. Bald. in L. eos in pr. & L. scias de appell.

Nam præterquam quod ipse Waes huic fundamento se confidere non audeat, neque tale quid alleget, aut allegabit, neque sententia etiam appellabilis sit, ex quo ipse aut ejus prædecessor diversis vicibus judicialiter fassus sit (uti revera etiam est) Castrum & Dominium de Kessenich indubitatè Feudum esse Juliacense, cum confessato non competat beneficium appellationis juxta ea, quæ tradit Hiltrop in suo proc. Jud. p. 4. T. 2. n. 98. & seqq. nunquam probabit Waes inhibitionem aliquam à Judice ad quem, ne Judex à quo ad executionem sententiæ procederet, impetratam, minus insinuatam.

Quotiescunque autem appellans post legitimam introductionem suæ appellationis non facit partem suam intra 30ta. dies citari, & Judici à quo inhiberi, ne ad executionem sententiæ procedat, Judex à quo liberè, de Jure, & Stylo Cameræ potest sententiam suam demandare executioni, ac si in rem Judicatam transiviſſet. In cujus rei confirmationem faciunt ea, quæ tradit Guid. Pap. q. 213. & Jun. in C. per sen. X. de app.

Quantò magis ergo id ipsum hoc in casu obtinebit, ubi plus quàm biennium est elapsum, quod nulla appellationis prosecutio fuerit subsecuta, & sic de plenissima desertione apertè constet, & reform. Juliac. tantum trimestre in illum finem concedat, & si non fiat infra tempus à reform. præscriptum, appellatio pro deserta habeatur. Reform. J. C. 37.

Quod autem, ubi deseritur appellatio, sententia in rem judicatam transeat, probatur per authent: ei qui Dd. C. de temp. appell. clem. sicut & Clement si appellationem de appell. C. cum sit Romana eod. tit. & quando appellatio est deserta, perindè est, ac si non fuisset appellatum. Et ex prima sententia fit executio. Gloss. in l. 3. §. sic executionem C. de tempor. appell. Cardin. in d. Clement. si appellationem de appell. & fingitur retro non appellatum per C. sæpe §. si vero forsan de appell. & negotium principale revolat ipso Jure ad primum Judicem à quo, ut post Glos. dicit Bald. in L. eos cui. C. de appell.

Quod procedit, etiamsi inhibitio aliqua à Judice ad quem fuisset facta, uti hic facta non fuit. Quia illa inhibitio expirat cum ipsa appellatione Gl. in L. penult. ff. de appell. Alex. afflict. Dec. & multi alii, quos refert Cephal. in Consil. 201. n. 2. Rota in decis. 1. in novis: & movetur ex pluribus, præcipuè quia paria sunt non appellare, vel appellationem non prosequi, vel appellationi renuntiare C. solicitudinem de appell. Joannes Andr. in C. licet de sententia excommunicationis in 6to. Vant. tr. de nullit tit. quoties, & infra n. 48.

Usque adeo ut desertâ appellatione etiam pars appellata non cogatur exspectare declarationem aliquam desertionis à Judice provocato, sed possit, si velit, omisso eo rectâ viâ ire ad Judicem, à quo provocatum est pro Sententiæ executione, à qua appellatio fuit interposita. Sed nunc deserta existit, ut elegantet tradidit Angel. Perusinus in L. si contra minor. de appell. dicens se ita infinitis vicibus practicasse, & hoc modo evitari magnum circuitum & sic quidem, ut Judex à quo possit executivè contra condemnatum procedere, eo etiam aliter non citato, quod etiam sequitur, & in terminis probat multis Juribus & argumentis. Joannes Wames. Cons. 200. Guid. Pap. de appell. qu. 18. & q. 110. versic Item potest & Boer. decis. 206. n. 11. & Marc. decis. 283. & idem Wames. Cons. 485. n. 1. & 2.

Et quamvis prædicta omnia, & singula de Jure peremptoria sint, nihilominus dicto Kessenich non nisi ex abundanti serviunt, & allegantur. Quandoquidem ipse Waes, sciens se nullatenus fundatum, & ideo non confidens suæ causæ, jam satis expressè etiam prætensæ suæ appellationi deprehendatur renuntiare, jam enim vult sustinere & sustinet Castrum & Domi-

minium de Kessenich non à Curia Feudali Ducatûs Juliæ, sed à Curia Feudali Brabantiæ in Feudum recognosci & relevari. Et Fiscum Ducatûs Brabantiæ inducere novit, ut ejus intuitu litem præfato Kessenich velit movere, quasi notoriê nullum, & retractationi subjectum foret Judicatum in Curia, seu Cancellaria Ducatûs Juliæ.

Quod similiter omnino frivolum, & impertinens esse dignoscitur inter cætera ex eo, quod nunquam auditum, minùs in aliquo Jure fundatum sit, quod per hujusmodi allegationem effectus Sententiæ & rei judicatæ cum causæ cognitione datæ impediri debeat, & minùs adhuc, quod is, qui vigore istius rei judicatæ jam immissionem & executionem obtinuit, possit de facto, & viâ armatâ spoliari, sed tali allegatione non obstante is spoliatus ante omnia debeat restitui.

Id que eò magis, tum quod hujusmodi allegatio majoris sit indaginis, & rem judicatam in contrarium habeat; tum etiam, quod directè contrarietur propriæ Judiciali confessioni prædecessoris Waes sæpius etiam reiteratæ, quâ ultrò fassus fuit, Castrum & Dominium de Kessenich esse Feudum Juliacense, & non Brabanticum. Et perinde etiam se Judicaturæ Juliacensis Curiæ submiserit, & Jurisdictionem solemniter prorogaverit, quod certè ejus prædecessor Jacobus à Malsen (qui absque dubio melius de statu causæ informatus fuit quàm hic ejus Successor Waes, qui Sororem duxit) nullo modo feciset, si non sciviset Feudum esse Juliacense, ut notorium est, & in hodiernum adhuc diem non versus Brabantiam sed versus Patriam Juliacensem à Sententiis in causis feudalibus latis ibidem in Kessenich appellatur & provocatur.

Jam autem scitur, de Jure nullam meliorem esse probationem, quàm oris proprii confessionem, præcipuè geminatam, imò quod geminata confessio præcipuè judicialis vim Juramenti habeat, nec prætextu alicujus erroris revocari possit, ut tradit & probat Mascard. Tr. de prob. vol. 1. Concl. 347. n. 45. & Cacheran. cons. 42. n. 32. & 33.

Et quod res Judicata pro veritate habeatur L. res judicata ff. de Reg. J. C. cum inter. de re Jud. ex qua parti jus acquisitum d. c. cum inter de re jud. Alex. Cons. 39. n. 5. vol. 6. Decius Consil. 445. col. 5. tantum valet, ut ne rescripto quidem Principis tolli aut subverti possit. L. feci C. Sentent. rescind. non pos. L. causas C. de transac. neque contra illud ferri alia Sententia cit. L. quando prov. non est necesse.

Deinde licet hoc in casu necessarium non sit, & frustraneum omnino foret, merita principalis causæ denuo disputare, tum propter Sententiam & rei judicatæ authoritatem, quam Kessenich pro se habet, tum etiam propter violentum spolium, cum violatione Salvaguardiæ Principis per

Waes propriâ authoritate commissum, & perpetratum, cum regula Juris satis nota & trita sit, spoliatum ante omnia restituendum L. si quis ad se tantum C. ad l. Jul. de vi publ. omni exceptione postpositâ c. in litt. de restit. spoliat & ibi Dd. quod etiam procedit, quod dato quod deficeret una minima pars rei, de qua fuit spoliatus, non teneatur respondere, nisi integré sibi satisfactum sit. Text. in C. conquerente de rest. spol., & ibi notat Bald. de restit. spoliat. Rota in novis decis. 319.

Et quod spoliatus etiam super nulla alia re à spoliatore suo conveniri possit, nisi spolio integraliter prius reparato. Text. in c. fin. de ordin. cognit. Schurff. Cons. 73. n. 10. Cent. 2. & Cons. 35. Cent. 1. & Cravett. Cons. 140. n. 3. lib. 1. & Boer. decis. 238. n. 2. idque non solum à spoliatore, verum etiam nec ab ipso, qui spoliationem factam ratam habet, Ripa in l. naturaliter §. nihil commune ff. de acq. pos. arg. l. 1. §. quoties ff. de vi & vi armata. c. cum ad sedem de restit. spoliat.

Et tantò minus adhuc hic spoliator audiri posset super eadem re spoliata, præcipuè cùm spoliatus rem judicatam pro se habeat, & non solum Authore Prætore, sed & Authore Principe, quod magis est, possidebat, & immissus erat, nihilominus ut sine præjudicio hujus, & sine præjudicio rei judicatæ militantis pro Kessenich summariè constare possit, nullius omnino momenti esse, extracta ex Registris Curiæ Feudalis Brabantiæ, quibus ipse Waes probare conatur, Castrum & Dominium de Kessenich esse Feudum Brabanticum contra geminatam imò triplicatam judicialem confessionem sui Prædecessoris: Notandum venit inprimis, quod prætensa illa registra loquantur de loco quodam Bronshorn nominato, in Dominio de Kessenich situato. Quod Feudum sit Brabanticum, & à Curia Feudali Brabantiæ in Feudum recognoscatur, quod nihil commune habet cum Castro & Dominio de Kessenich, licet in eodem Dominio situato.

Et quamvis inter cætera unius relevii actus videatur in effectu hæc continere verba, **ist belehnt mit Bronshorn ende Herrlichkeit Kessenich**: Aliud non est dicendum, nec præsumendum, quàm quod notorius error sit, aut falsitas commissa; & quod scriptum fuerit, **ist belehnt mit Bronshorn in die Herrlichkeit Kessenich** / facillimè enim Littera i. in e. mutari potest.

Et necessariò hoc dicendum est, ut relevia concilientur, quia tam anteriora, quàm posteriora hoc non continent, sed contrarium indicant, & solummodo de Bronshorn loquuntur cum suis appertinentiis & dependentiis.

Investi-

Investitura enim, sicut & alii actus omnes, ita semper est interpretanda, ne contrarietatem contineat. Argumento C. & tu & ibi Abb. de testib. C. inter dilectos de fide instrum. & Paris. Cons. 16. n. 30. Lib. 1. & latè Schrad. de feud. v. 5. Cap. 2. n. 50.

Deinde quoad Castrum & Dominium de Kessenich quod Feudum Juliacense sit, & non Brabanticum, sufficienter satis tam releviis & investituris multò antiquioribus, quàm hæ sint, sumptæ ex Registris Curiæ Feudalis Brabantiæ, quàm aliis documentis & munimentis probatum fuit in Processu, quem Kessenich hac ratione debuit sustinere in Cancellaria Ducatûs Juliæ & Sententiâ per expressam utriusque partis ultroneam submissionem, & prorogationem ibidem latâ confirmatum & corroboratum, quæ jam diu transiit in rem judicatam.

Quod autem prima investitura sit radix & Fundamentum Feudi, eaque potissimum in controversiis feudalibus attendenda, & per eam omnes sequentes investituræ declarentur, ita, ut si quid in sequentibus investituris mutatum, aut innovatum deprehendatur, hoc per errorem factum præsumatur, neque ipsi Vasallo, qui in investitura quid mutari vel innovari passus est, neque posteris ejus noceat, nisi in ipsa investitura, in qua quid mutatum aut innovatum est, expressè dictum sit; hanc mutationem vel innovationem factam esse de communi consensu & Vasalli, & Domini Feudi. Hoc latè & infinitis Doctor. authoritatibus & juribus probat Schrad. Tr. de Feud. C. 5. p. 2. n. 31. 32. 33. & seqq. & latè etiam Rosenthal de Feud. C. 6. Concl. 69. n. 14. & seqq. ubi etiam dicit & clarè probat, si contingat investituras posteriores alio modo factas esse, quàm primas, id per errorem aut impressionem factum præsumi; adeo ut nihil præjudicet, licet etiam plurimæ tales recognitiones aliter, quàm in prioribus continetur, factæ; Idem etiam tradit Molinæ ad Cons. Paris §. 5. n. 66. 71. & seqq. & Leoninus Cons. 99. n. 5. 7. quòd hoc nostro in casu eò magis obtinere debet, quia tam diversæ non solùm conjecturæ, sed etiam præsumptiones & probationes, imo propriæ partis judiciales, eæque geminatæ, aut triplicatæ confessiones in contrarium concurrunt, ut ante demonstratum est.

Neque etiam verisimilitudinem aliquam habet, velle sustinere Castrum & Dominium de Kessenich esse Feudum Brabantiæ; Neque illud per illa Brabantica extracta dici potest probatum, nisi absurditate magnâ concessâ.

Si enim Castrum & Dominium de Kessenich non minus, quàm locus seu Villa de Bronshorn in Dominio de Kessenich sita, Feudum esset Brabantiæ, certè non postponeretur, sed præponeretur isti particulari Villæ, seu loco de Bronshorn. Et diceretur **ist belehnt mit die Herrlichkeit Kesse-**

Kessenich/ ende mit t'Goet Bronshorn genohmt in die Herrlichkeit von Kessenich gelegen / aliàs valde præposterus, & insolitus esset ordo, absurdus & nunquam auditus, nec visus, sed à potiori semper solet & debet sumi denominatio L. quæritur ff. de stat. hom. Craver. cons. 638. n. 17. & Cons. 406. n. 5. & facit L. 1. ff. de V. O. Et immediata causa semper potiori loco haberi debet, quàm mediata. L. interdum §. paterf. ff. de hæred. Inst. & Curt. Jun. Cons. 44. n. 5. hinc etiam fit, quod scribit Innoc. & cæteri. c solita de Major & obed. quod ubi in eadem persona concurrit duplex dignitas, ut siquis sit Dux, Comes, Marchio, ut debeat denominari à digniori, & quod magis dignum trahat ad se minus dignum. L. cum in divers. ff. de Relig. & sumpt. junc. C. cum indubiis. de consec. Eccles. vel altar.

Quod autem insolita arguant dolum, fraudem, vel errorem, vel impressionem, probatur per ea, quæ tradit. de probat. Rosenthal de feud. C. 6. concl. 86. n. 354. & C. 5. concl. 71. n. 2. & Concl. 78. n. 3. & seqq.

Et quod absurditas hujusmodi ab officina Justitiæ repelli omnino debeat. probatur per L. absurdum ff. de bon. libert & L. ex facto vetito ff. ad senat. Trebell. Alex. in Cons. 61. col fin lib. 1.

Item quod illud, quod verisimile non est, habeat speciem falsitatis, & quod distat à verisimili, non sit credibile, nec considerabile prob. per L. non est verisimile ff. quod met. caus. sed naturæ contrarium reputatur.

Probat latè Mascard de probat. concl. 1402. n. 7.

Et latè Tiraq. ad L. si unquam n. 57. C. de revoc. donat.

Ita ut omnibus bene perpensis, & collatis cum probationibus in Cancellaria Ducatûs Juliæ hac in causa exhibitis & productis satis clarè appareat, tantum abesse, ut dici posset releviis Brabanticis probari posse, Castrum & Dominium de Kessenich, esse Feudum Brabanticum, licet falsò vel per errorem in aliquibus mentio fiat Dominii de Kessenich, ut è contra jure dici possit, & illis releviis seu investituris satis probari Bronshorn, & non Castrum & Dominium de Kessenich esse Feudum Brabantiæ, licet hoc in casu non relevia Curiæ Brabantiæ, sed Curiæ Juliacensis veniant in considerationem ob rationes antè allegatas; & nunquam specialiter & principaliter de Castro & Dominio de Kessenich tractantes, nullâ mentione factâ loci de Bronshorn, quòd probatur esse Feudum Brabantiæ, & nihil commune habet cum Castro & Dominio de Kessenich, sicut ex præmissis & aliis per discretum Judicem in Jure supplendis manifestum fiat, quàm frivolè & calumniosè absque ullo fundamento Capitaneus Waes nunc hanc nunc illam viam cum magna contrarietate causæ Justitiæ illudendi, eligendo, conetur illusoriam reddere sententiam, & executionem contra ipsum factam,

una

una cum Salvagardia & securitate ipsi Kessenich concessa; quam ita ausu temerario ipse Waes pertinaciter infregit in magnum, non solum justitiæ, sed etiam Principis sui vilipendium & contemptum, minimè perpendens, quod etiamsi aliquid fundamenti in contrarium habuisset, (uti non habet nec allegare, multò minus probare poterit) quod interim nihilominus uti bonus subditus mandato Principis sui tam præcise debuisset obediviſſe, donec per ipsum Principem in eo aliter fuisset provisum, & ei reverentiam obsequialem deferre.

Præcipuè cum hujusmodi ordinationes, seu decreta Principum, quæ non nisi aliquâ causæ cognitione prævia, & cum consilio prudentum emanant, censeantur habere vim legis, aut sententiæ & rei Judicatæ authoritatem. L. tutor qui repertor. §. si deponit de adminiſt. tutor & Cujacius. in paratit C. lib. 7. tit. comminat Epistolas & facit L. 1. §. quodcunque igitur & ibi Dd. de constit. Princ. & nihil aliud est præsumendum, quàm quod Princeps omnia præmeditatè, & nihil inconsideratè soleat agere, & loquitur per os Dei, à quo delegatus est Judex in terris. auth. de hæredit & falcid. in pr. & gl. in L. relegati C. de pœn. & quando de mente Principis constat, ea ad amussim est observanda. teste authent. de Butrio C. ex parte de foro compet. & Everard. cons. 2. n. 8.

Si enim edicta & decreta Prætorum non debeant esse illusoria, & dicantur dolo carere, qui jussui Magistratûs non obtemperat L. non potest dolo ff. de reg. jur. certe multò magis delinquit, qui jussui Principis sui non solum non obtemperat, sed alios sub Salvagardia Principis constitutos male & injuriosè tractat. maximè non nisi juris ordine servato procedentis, utquia requisitus à vicino Principe, (pro quo etiam præsumendum, quod non nisi justè processerit, ut suo subdito mandaret) qui miles & Capitaneus est, & militem ad manum habebat, cui magis confidisse videtur, quàm prætenso juri suo, ne se militari manu opponeret executioni sententiæ (quæ diu in rem judicatam transierat) contra ipsum facienda, idque extra territorium Principis nostri, & immittendum in sua Salvagardia dignaretur suscipere, uti factum, & nullâ ratione aut jure denegari potuisset, cum nihil iniqui fuerit petitum, & concessum, sed quod omni Juri & rationi erat consentaneum.

Et consequenter necessaria debet esse sequela, prænobilem Joannem Walramum à Kessenich injustè & violenter spoliatum, & rem judicatam & executionem pro se habentem non solum ante omnia restituendum, & Capitaneum Waes turbatorem, spoliatorem, & Salvagardiæ Principis sui violatorem in omnes expensas, damna & interesse condemnandum, verum etiam ratione hujus violenti spolii & violationis Salvagardiæ Principis con-

 dignè

dignè in exemplum aliorum puniendum, nam certum est, quod canit Poeta.

Oderunt peccare boni virtutis amore,
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Idque eò adhuc magis, quod etiam juris non sit ignoti, quod etiamsi jura nostra communiter tradant, etiam de spolio conqueri posse; licet quis authoritate Judicis in bona immissus, si tamen Judex ordine Juris non servato processerit, uti hoc in casu ordine juris maximè servato processum est, quod tamen hoc omnino cesset, si taliter immissus in continenti per sententiam & rem judicatam, aut per aliud publicum instrumentum de jure suo possit probare, ut hic fit; & quod tum privatus non sit restituendus, sed possessio immissi per judicem confirmanda sit, licet secus foret, si solâ authoritate privatâ spoliatio fuisset facta, & commissa: Menoch. recup. poss. remed. 1. n. 102. q. 10. & remed. 8. n. 27. & 28. & Joannes Guitierez cons. 6. n. 9. & 10. & in suo tract. de Juram. Confirm. 3. pr. C. ultimo; & ratio inter cæteras est, quia propter authoritatem judicis multa facta tenent, quæ aliàs fieri prohiberentur L. 1. §. biduum ff. quand. appell. sit. & L. 1. ff. siquis jus dic. non obed. quantò magis ergo, quando fit, factum est authoritate Principis interveniente.

Quò etiam respicit, quod tradit Vant. de nullit. proceff. in ult. p. n. 35. lib. 3. ubi dicit non capturam seu arrestum non omnino debito modo factum, si aliàs de debiti veritate incontinenti possit probari & Rebuff. ad ord. Reg. tom. 1. Artic. 6. gloss. 3. n. 45. & Paris in cons. 99. n. 34. lib. 3. & quæ dicit & probat Socin. in cons. 113. incip. quoniam in causâ capturæ lib. 3. & Roman. sing. 256. quod deneganda sit restitutio in pristinum statum, & libertatem, licet non juris ordine processum, si de debito constet, ex quo poterat capi.

Nec quicquam etiam Capitaneo Waes patrocinari potest ad palliandam suam violentiam, & violationem Salvagardiæ Principis, quod alleget, se etiam Salvagardiâ Principis fuisse munitum, quia illam nunquam vidit Kessenich, neque ipsius parens, multò minus probabitur insinuatam, uti fuit Salvagardia de Kessenich. Deinde verisimiliter aliam non habuit Waes, quam quæ & qualis regulariter in terminis generalibus omnibus per Principem concedi solet illam petentibus, quæ se nullo modo extendere potest ad auferendum alicui jus per sententiam & rem judicatam acquisitum, præcipuè de post Principe aliud statuente, & executioni factæ ejusdem sententiæ authorizante, uti à parte Kessenich in sua Salvagardia factum apparet.

Prin-

Princeps enim ſine cauſâ nemini præſumitur velle præjudicare, neque alicui jus acquiſitum auferre poſſet. L. quoties, C. de prec. Imp. offer. non exigente cauſâ legitimâ. Caſtrens. in L. digna vox vers. fin, C. de legib. & Decius in C. 1. V. ſit & hæc ades de conſtit. & omnes in L. Gallus §. & quid ſi tantum ff. de liber. & poſth.

Et Principum reſcripta ſemper intelliguntur ſalvo Jure tertii, & jus tertii ſemper exceptum videtur. Decian. conſ. 23. n. 72. Vol. I. Cephal. conſ. 186. n. 33. Vol. 2. & Natta. in conſ. 4. n. 5. Vol. I. & voluntas Principis talis ſemper præſumitur, qualis de jure eſſe debet. ut ait Bald. in L. ex facto. not. 4. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.

In cauſa prænobilis & generoſi Domini Joannis Waltami de Keſſenich, Domini temporalis in Keſſenich contra Capitaneum Walramum de Waes quoad Cauſam Principalem notandum imprimis, quod Walramus de Keſſenich non ſolùm ſententiam in Curia feudali Ducatûs Juliæ cum utriusque partis ſubmiſſione jurata prolatam pro ſe habeat, verùm quod & illa ſententia appellatione deſertâ, quæ pro parte adverſâ interpoſita fuerat, in rem judicatam dein tranſierit, imo & executioni interveniente conſenſu & Salvagardiâ Principis noſtri Cardinalis fuerit demandata. Cui executioni licet Waes ſe opponendo D. de Kesſenich iterum ſpoliaverat; poſtmodum tamen per formalem ſententiam Domini Superintendentis militiæ Regiæ ſuæ Majeſtatis ex ſpeciali Commiſſione Principis Cardinalis D. Keſſenich fuit reſtitutus & Waes ratione ſpolii commiſſi, & infractionis Salvagardiæ in emendam centum aureorum condemnatus, partibus utrimque plenè auditis, & bonâ cauſæ cognitione præmiſſâ, & ipſi Capitaneo Waes injunctum, ut ſi quid haberet prætendere, viâ juris ageret, & quod hujus rei cognitio minimè competat, aut competere poſſit Cancellariæ Brabantiæ, ex eo manifeſtum fit, quod Dominium de Keſſenich notoriè non ſit feudum Brabantiæ, nec etiam in territorio Brabantiæ ſitum, ſed notoriè ſit feudum Juliacenſe, & in Imperio ſitum.

Quodque ea de re, quod magis eſt, extet Sententia, & res judicata a competenti ſuo judice cum ſumma cauſæ cognitione data in favorem Dn. de Keſſenich ſecundariò & principaliter in favorem Serenisſimi Ducis Juliacenſis, uti Domini Directi.

Quo jure ergo, & quâ ratione Cancellaria Brabantiæ ob notoriam fori incompetentiam poterit ſe huic rei immiſcere & caſſare, quod a competenti judice bene judicatum.

Dices: Fiſcalis Advocatus Brabantiæ prætendit eſſe feudum Brabantiæ;

Dico, quod Fiſcalis Ducatûs Juliæ prætendit eſſe feudum Juliacenſe, uti revera eſt, & ſententiâ ſupremæ Curiæ Ducatûs Juliæ confirmatum.

Interim sciendum, quod Serenissimus & Illustriss. Dux Juliæ, nec ejus Vasallus Kessenich minimè impedire velint, ne Fiscus Brabantiæ sese fundatum putet, sed dicent illam cognitionem minimè competere Cancellariæ Brabant. etiam cessante Sententiâ in causa latâ tàm vigore juris communis, quàm vigore concordatorum inter quondam felicissimæ recordationis Carolum V. Imperatorem & Ducem Juliacensem initorum, quorum talis est clausula; si tamen super materia feudi quæstio moveretur, tunc coram illo, seu paribus Curiæ illius Principis, cujus feudum erit, quæstio agitabitur, quod si de ipso feudo quæstio esset talis, quod quilibet prædictorum Principum feudum suum esse prætenderet, tum per ipsorum Deputatos modo & formâ præmissis decidetur.

Non est dubium quin hæc concordata inter Carolum V. Imperatorem, & Ducem Juliæ inita inveniantur registrata, non minùs in Curia Brabantiæ, quàm Juliæ, & aliàs etiam satis juri communi sunt conformia.

Et minùs adhuc dicunt fundatum, quod hoc prætextu, quod Fiscalis Brabantiæ verisimiliter inductus per Waes agat, Dictus Waes Illustriss. & Sereniss. Principem Juliæ & ejus Vasallum studeat privare effectu sententiæ & factæ executionis & possessionis obtentæ. Cùm frivolum & impertinens omnino sit, quod tertius jus Fisci allegare velit, & se eo juvare: & magis adhuc impertinens, quod Waes isto prætextu spolium commiserit, se violenter executioni opponendo. Quæ omnia & singula eò magis procedunt, quod aliàs similis orta quæstio inter Illustriss. & Sereniss. Ducem Juliæ ex una, & Dominum in Pamelen ex altera partibus, ratione cujusdam Dominii in Flandria quidem siti, verùm feudi Juliacensis, licet Consilium Provinciale Flandriæ se causæ tanquam judices ordinarii immiscere vellent, postmodum tamen melius informati, tam de Jure, quàm de præfatis concordatis processus in contrarium factos tanquam per sub- & obreptionem extortos resciderint circa annum 1589. & remoto omni obstaculo injecto causam in Curia Feudali Juliæ per pares decidendam declaraverint, eòque ob id remiserint, uti pro parte colligi potest ex adjecto scripto.

Et quia præterea etiam notoriè frivola sunt ea, quibus Fiscus Brabantiæ, aut potius Waes conatur probare Dominium de Kessenich non Juliacense, sed Brabanticum esse feudum, & recognitiones in Curia Juliæ jam à ducentis, & ultrò annis factas esse erroneas, quod minimè de jure præsumendum est: Rosenth. tract. de feud. C. 6. concl. 68. n. 14. eò minus, quia recognitiones recentiores, quæ in contrarium allegantur, licet impertinenter, etiam non ita loquuntur de Dominio & Castro de Kessenich, quàm de speciali aliquo loco Bronshorn vocato, in Dominio de Kessenich situato, & quem tertius alius possidet.

Quæ

Quæ prædicta omnia etiam ſerviunt pro ſolutione prætenſæ manutenentiæ Principis, quam inter cætera allegat ſe habere, quam ipſe tamen Keſſenich nunquam vidit, nec deſuper unquam citatus, aut auditus fuit. Et multò minus poſſet præjudicare ſententiæ, & rei judicatæ per Judicem competentem latæ, & authoritate Principis Cardinalis requiſiti demandatæ executioni cum conſilio Procerum ſuorum, quod præſumitur juſtum, & omni ſuſpicione carere. Teſte Iſernia in C. 1. qui ſucceſs. teneat & Deciano Conſil. 25. n. 17. Vol. 1. & inveſtigationem quæ fit in ea, quæ à Principe cum conſilio ſuorum Conſiliariorum ſunt facta, nimis eſſe ſcrupuloſam tradit idem Decian Conſil. 41. n. 29. Vol. 2. & Afflict. C. 1. in pr. de prohib. eud. alien. per fred.

No. XLI.

CArolus divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator Semper Auguſtus, Rex Germaniæ, Caſtellæ, Legionis, Arragoniæ, Navarræ, Neapolis, Siciliæ utriusque, Majorcarum, Sardiniæ, Inſularum Indicarum, Terræ-Firmæ, ac Maris Oceani, Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Limburgi, Luxenburgi, & Gueldriæ, Comes Flandriæ, Arteſiæ, Hannoniæ Hollandiæ, Zelandiæ, & Kyburgi, Namurci, & Zutphaniæ, Princeps Sueviæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Dominus Friſiæ, Salinarum, Mechliniæ Provinciarum Tranſiſalanarum, & Trajectenſium, nec non Dominator Aſiæ & Africæ: Univerſis, & ſingulis præſentes litteras noſtras inſpecturis gratiam noſtram & omne bonum: cum proximis elapſis diebus certi à nobis deputati Commiſſarii cum Commiſſariis Illuſtris Principis Wilhelmi Ducis Juliacenſis & Clivenſis noſtro nomine & mandato tractatum perpetuæ Conſœderationis, ligæ, Concordiæ & Unionis ſub beneplacito noſtro inter nos, hæredes, & Succeſſores noſtros, nec non terras, ditiones, & ſubditos noſtros inferioris Germaniæ ex una, & dictum Illuſtriſſimum Principem Juliacenſem & Clivenſem, ſuos hæredes & Succeſſores terras, ditiones, & ſubditos ex altera parte inierint & concluſerint: cujus tenor ſequitur & eſt talis: Ad laudem Dei omnipotentis, tranquillitatem, ac utilitatem cùm totius Reipublicæ Chriſtianæ, tùm verò imprimis ſubditorum, terrarumque hæreditariarum, tam Auguſtiſſimi, invictiſſimique Principis ac Domini, Domini Caroli V. Romanorum Imperatoris, Regis Germaniæ, & Hiſpaniarum, Archi-Ducis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ, Lotharin-